



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 21. Responsum Imperatori datum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1442.

§. XXI.

Responsum Imperatori datum.

In eo Conventu post crebras consulta-
tiones, & jurgia, tandem Basileenses
communi voce Friderici Legatis hunc
in modum responderunt: *Quamvis in hac
civitate Basileensi hædenus fuerit, & hodie
sit generale Concilium, & dicta civitas
esset locus aptus, & rebus gerendis accom-
modus æque ac tutus, aliunde sine maxi-
mis periculis, incommoditatibus, laboribus,
sumptibus, & difficultatibus abhinc ad alium
locum mutatio hujus sacri Concilii fieri non
posset; Nihilominus his non obstantibus hoc
sacrum Concilium ob unitatem, & pacem
Ecclesiæ, & quia cupit votis serenissimi
Regis, & Principum Electorum complacere
pro pacificatione universalis Ecclesiæ, offert
sacra Synodus se paratam ad locum Ger-
manæ Nationis rebus gerendis accommo-
dum, & Regiæ Celsitudini gratum sua pro-
pria auctoritate seipsam transferre, secu-
ritatibus tamen in talibus præstari solitis,
& aliis necessariis datis, & præstitis. I-
tem petit sacra Synodus, ut Serenissimus
ipse Dominus Rex Romanorum ipsi Conci-
lio intersit personaliter, vel adveniente impe-
dimento, aliquem potentem, & magnæ au-
toritatis Principem sacro Concilio gratum,
in ejus Protectorem instituire velit. Obse-
crat eandem Regiam Celsitudinem, quatenus
digne-*

dignetur Reges, & Principes toto ingenio, Sæcul. XV. A. C. 1442.
 & nisu inducere, ut veniant personaliter, aut suos solemnes Oratores mittant, atque Prælatos. Denique subjungunt Basileenses, ne inanis & frustratoria reddatur hujusmodi Concilii translatio, Rex & Electores certificent, quod Concilium, dum in illo loco fuerit, recognoscent pro vero Generali Concilio, eique adhærebunt, statutisque, ordinationibus & decretis acquiescent, etiamsi adversarii ad illud non venerint. Loca vero nominabit sacrum Concilium Basileense, quorum alterum ipse Dominus Rex eligat, & assignet auctoritate hujus sacri Concilii, & hæc sancta Synodus suam translationem in illum locum publice, ac in solempni Sessione decretabit fiendam ad tempus, quod considerata necessitate Ecclesie videbitur expedire, postquam tamen præfatas securitates sacro huic Concilio fuerint præstitæ cum effectu.

§. XXII.

Imperator Basileam ingressus.

His ita conclusis, Imperator Basileam Acta Patric. to. 13. p. 1604
 petiit, & die undecima Novembris
 divo Martino sacra solempni pompa, ac
 regia prorsus magnificentia urbem in-
 gressus est. Incedebat medius inter Car-
 dinalem Arelatensem, & Patriarcham
 Aquilejensem Episcopum Tridentinum,